

SACERDOS
ALOYSIUS CIECHORSKI

E PIA SOCIETATE SALESIANA

UT SACRAE THEOLOGIAE DOCTOR RENUNTIARETUR

AUGUSTAE TAURINORUM

IN ACADEMIA PONTIFICIO JURE

in Aedibus Seminarii constituta

PUBLICE DISPUTABAT

die VI Julii

hora XVII cum semisse

Anno MCMXVI



TORINO, 1916

TIPOGRAFIA DELLA S.A.I.D. BUONA STAMPA

Corso Regina Margherita, 176

SACERDOS
ALOYSIUS CIECHORSKI

E PIA SOCIETATE SALESIANA

UT SACRAE THEOLOGIAE DOCTOR RENUNTIARETUR

AUGUSTAE TAURINORUM

IN ACADEMIA PONTIFICIO JURE

in Aedibus Seminarii constituta

PUBLICE DISPUTABAT

die VI Julii

hora XVI cum semisse


Anno MCMXVI



TORINO, 1916

TIPOGRAFIA DELLA S.A.I.D. BUONA STAMPA

Corsò Regina Margherita, 176



DE ACTIBUS HUMANIS EORUMQUE PRINCIPIIS

(EX 1^a 2^{ae} S. THOMAE)

THESES EXCERPTAE

I.

In actibus humanis invenitur voluntarium; quod secundum rationem imperfectam competit etiam brutis; et dividitur in directum et indirectum. (q. VI art. 1, 2, 3).

II.

Violentia inferri potest actibus imperatis non autem elicitis voluntatis; et causat involuntarium. (q. VI. art. 4, 5).

III.

Quae ex metu fiunt sunt simpliciter voluntaria; involuntaria autem secundum quid. (q. VI art. 6).

IV.

Concupiscentia non causat involuntarium, sed, si est antecedens, aliquatenus diminuit. (q. VI art. 7 coll. q. 77 art. 6).

V.

Ignorantia invincibilis voluntarium tollit. (q. VI art. 8).

VI.

Actus humani bonitatem vel malitiam desumunt ex obiecto, ex fine et ex circumstantiis. (q. XVIII art. 2, 4, coll. q. XIX art. 1, 2).

VII.

Etsi sunt aliqui actus humani indifferentes secundum suam speciem, nulli tamen sunt indifferentes secundum individuum. (q. XVIII art. 8, 9).

VIII.

Peccat agens contra conscientiam (quae est proxima humanorum actuum regula) licet haec erret; qui vero agit iuxta conscientiam falsam non semper peccato vacat. (q. XIX art. 5, 6).

IX.

Regula remota humanorum actuum est lex; quae definitur: ordinatio rationis ad bonum commune ab eo qui curam communitatis habet promulgata. Est autem praeter legem aeternam, lex naturalis, lex divina positiva, lex humana. (q. XC art. 1, 2, 3, 4, et q. XCI art. 1, 2, 3, 4, 5).

X.

Lex naturalis est una apud omnes, nec mutari potest. Ab ea derivatur lex humana. (q. XCIV art. 4, 5, et q. XCV art. 2).

XI.

Lex humana conscientiae obligationem inducit. (q. XCVI art. 4).

XII.

Legi humanae subiiciuntur ii qui subduntur potestati eam ferenti. (q. XCVI art. 5).

XIII.

In legibus humanis, etiam ecclesiasticis, datur dispensatio et excusatio. (q. XCVI art. 6 et q. XCVII art. 4).

XIV.

Peccatum est dictum, vel factum, vel concupitum contra legem aeternam: dividitur in mortale et veniale; speciem suam desumit ab obiecto. (q. LXXI art. 6, q. LXXII art. 1 e 5, et q. LXXXVII art. 1).

DE NOVI TESTAMENTI LIBRIS HISTORICIS

THESES EXCERPTAE

I.

Novi Testamenti quatuor primi libri Evangeliorum nomine aptissime insigniuntur. Atque S. Mattheum Apostolum primi nostri Evangelii auctorem esse, tanquam sententiam certissimam asserimus.

II.

Neque audiri merentur qui ab hoc Evangelio infantiae Domini historiam aut alias narrationes tamquam non authenticas expungi posse statuunt.

III.

Evangelium vero suum S. Mathaeum scripsisse hebraice seu syro-chaldaice iure optimo affirmamus.

IV.

Secundum Evangelium scriptum esse a S. Marco, S. Petri discipulo et socio, communis est et constans Patrum traditio, quae libri ipsius charactere confirmatur.

V.

Neque valent argumenta, quibus, secundi Evangelii clausula (Marc. XVI, 9-20) ab aliquibus criticis spuria declaratur.

VI.

Apostolorum tempore conscriptum esse tertium Evangelium atque S. Lucae socio et adiutori S. Pauli auctori esse tribuendum iure merito docemus.

VII.

Neque aliter sentiendum aut de huius Evangelii duobus capitibus prioribus, aut de sanguinei Domini sudoris narratione (XXII, 43, 44).

VIII.

Etiamsi quis ab eius inspiratione abstrahere voluerit, indubia S. Lucae competit auctoritas.

IX.

Apostolicam quarti Evangelii originem iniuria prorsus impugnant biblii rationalistae quamplurimi.

X.

Ad integritatem vero quarti Evangelii quod attinet, praeter V. 4 et XXI. 1-25, maxime quidem historia adulterae (VIII, 1-111) in dubium vocatur; sed incassum.

XI.

Licet autem de Evangeliorum synopticorum affinitatem eiusque ratione non una sit criticorum sententia, immerito exinde argumentantur rationalistae ad evangeliorum auctoritatem labefactandam.

XII.

Quamvis item magna differentia quartum inter et tria priora Evangelia intercedat, nullo iure aliqui critici oppositionem et pugnam inter illa inveniri contendunt.

XIII.

Matthaeus vero et Lucas licet in Domini genealogiis differant, neque eadem facta in suis de infantia Domini narrationibus referant, iniuria tamen inter se pugnare dicuntur.

XIV.

Quintus N. T. liber historicus, qui acta vel Actus Apostolorum appellatur, S. Lucae auctori iuri optimo tribuitur.

DE DEO CREATORE

Ex 1^a Parte Summae Theologicae Divi Thomae Aquinatis

THESES EXCERPTAE

I.

Deus mundum resque omnes quae in eo continentur secundum totam suam substantiam ex nihilo produxit seu creavit voluntate ab omni necessitate libera et simul ab initio temporis.

II.

Unus Deus est creator, neque illi creaturae vis creandi communicari potest.

III.

Mundus ad Dei gloriam conditus est et ad creaturae intelligentis felicitatem.

IV.

Inter omnes a Deo conditas creaturas eminent Angeli, quorum natura pure spiritualis est, quorumque ingens extat et ordinata multitudo.

V.

Angeli evecti fuere ad ordinem supernaturalem, a quo tamen plures sua culpa exciderunt, proindeque et boni et mali Angeli existunt.

VI.

Angeli boni ad hominum custodiam deputantur.

VII.

Angeli vero mali seu daemones temptationibus, malis physicis et corporum quandoque obsessione homines infestant.

VIII.

Adam et Heva etiam quoad corpus immediate a Deo conditi fuerunt atque ab ipsis solis universum humanum genus propagatum fuit.

IX.

Protoparentes in originalis justitia statu creati, praeter quam gratia sanctificante, ditati fuerunt donis integritatis, immortalitatis, impassibilitatis nec non et paeclarae rerum scientiae.

X.

Dona justitiae originalis, protoparentibus collata, indebita omnino sunt humanae naturae.

XI.

Protoparentes, Dei mandatum in Paradiso transgressi, statim e statu justitiae originalis exciderunt, supernaturalibus donis amissis, vulneribusque quoad ipsas naturales facultates sauciati.

XII.

Adam, peccando, non sibi soli sed universae humanae propagini nocuit. Atque hoc peccatum, quod origine unum est, propagatione transfusum omnibus inest unicuique proprium.

XIII.

Formalis ratio originalis peccati in privatione gratiae sanctificantis consistit ex Adae paevaricatione in posteros derivata.

XIV.

Dogma de transfusione peccati originalis cum rectae rationis principiis nullomodo pugnat.

DE SACRAMENTIS GENERATIM ET DE BAPTISMO

ex III^a parte Summae Theologicae Divi Thomae

THESES EXCERPTAE

I.

Sacramentum est signum sensibile divinitus et permanenter institutum ad gratiam et sanctitatem significandam et conferendam. (q. LX, art. 1, 2 et 4).

II.

Quamvis sua etiam fuerint Mosaicae legi Sacraenta, tamen per se, et virtute sua Justificationis gratiam non tribuebant, sed eam Deus intuitu fidei in venturum Redemptorem largiebatur. (q. LXI, art. 3; q. LXII, art. 6).

III.

Novae legis Sacraenta non ad solam fidem excitandam et nutriendam instituta sunt, sed gratiam quam significant continent, eamque omnibus rite suscipientibus ex opere operato semper conferunt. (q. LXII, art. 1, 3 et 4).

IV.

Baptismus, Confirmatio et Ordo characterem instar signi cuiusdam spiritualis indelebiliter in anima imprimunt, quo fit ut ea iterari nunquam possint. (q. LXIII, art. 1, 2, 5 et 6).

V.

Singula Evangelicae legis Sacraenta mediate saltem a Christo Domino instituta fuisse fidei dogma est, et nunc vix temeritatis notam effugeret qui Christum immediatum fuisse omnium auctorem denegaret. (q. LXIV, art. 2).

VI.

Ministrorum improbitas Sacraenta non inficit, modo ne aliud quidquam praetermittatur quod ad eorum essentiam spectet. (q. LXIV, art. 5).

VII.

In ministro non est necessaria fides ad Baptismi Sacramentum valide conferendum. (q. LXIV, art. 9).

VIII.

Attamen ad Sacramentorum veritatem requiritur in ministro intentio faciendi quod facit vera Christi Ecclesia; nec probabilius sufficit intentio quam dicunt externam. (q. LXIV, art. 8 et 10).

IX.

Sacmenta Evangelicae legis non sunt plura vel pauciora quam septem, videlicet Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Poenitentia, Extrema Unctio, Ordo et Matrimonium. Hanc fidei veritatem, a Tridentina Syntodo (sess. 5, de Sacr. can. 1) definitam, generali sed invicto praescriptionis, quod vocant, argumento propugnamus.

X.

Congrua adest ratio ob quam novae legis Sacmenta septem sunt, et dicto ordine recensentur, licet non omnia pari necessitate aut dignitate commendentur. (q. LXV).

XI.

Baptismus liber non est, sed adeo ad salutem necessarius, ut in pueris solo martyrio, in adultis aut martyrio, aut caritate, cum Sacamenti voto, suppleatur. (q. LXVIII, art. 1 et 2).

XII.

Hinc licet, et praestat pueros, quamvis actuali fide careant, baptizare; nihilominus et communi simul, et gravi sententia nec licet, nec praestat, infidelium pueros, invitis parentibus, sacro fonte expiare. (q. LXVIII art. 9 et 10).

XIII.

Omnis et solus sacerdos est minister solemnitatis ordinarius pro Baptismo, minister vero extraordinarius ex delegatione est diaconus; at quilibet homo etiam laicus, sive vir sive foemina, sive fidelis sive infidelis, non tantum valide, sed etiam, in casu necessitatis licite baptismum administrare potest.

XIV.

Baptismus sine debitissimis dispositionibus susceptus, recedente fictione, reviviscit, seu effectum suum consequitur. (q. LXIX, art. 10).

DE LOCIS THEOLOGICIS

THESES EXCERPTAE

I.

Militans Ecclesia, ex Christi institutione, indeque ex constitutivo suo essentiali, est visibilis: non enim ex solis praedestinatis aut justis constituitur.

II.

Eadem, etiam qua *docens*, est de rebus fidei aut morum infallibilis; nec non, qua *docens* et *credens*, indefectibilis, seu perpetuo mansura qualis a Christo condita fuit, incorrupta et sancta.

III.

Inter varias christiani nominis societas sola, quae Romano Pontifici obsequitur, notas praesefert verae Christi Ecclesiae, ac primo Unitatem.

IV.

Protestantica distinctio inter fidei articulos *fundamentales* et *non fundamentales* est explodenda.

V.

Sola item Romana Ecclesia possidet notas Sanctitatis, Catholicitatis et Apostolicitatis.

VI.

Legitimum Oecumenicum Concilium est de rebus fidei et morum fallinescium.

VII.

Christus Jesus B. Petro contulit jurisdictionis primatum supra caeteros Apostolos, illumque constituit suum hic in terris Vicarium et Caput Ecclesiae.

VIII.

Romanus Pontifex, B. Petri successor, divino iure primatum jurisdictio-
nis tenet in universam Ecclesiam.

IX.

Pontifex Maximus *ex cathedra* definiens in causis fidei vel morum est
erroris expers: hujusmodi proinde illius judicia sunt ex sese irreformabilia.

X.

Unanimis SS. Patrum consensus de fidei morumve doctrina est indu-
bium veritatis argumentum.

VI.

Necessarius omnino, amplissimus, imo perpetuus est in Theologia
humanae rationis usus, scilicet revelationem et fidem antecedit, comitatur
et subsequitur.

XII.

Ratio humana ex propriis principiis et suis viribus certo cognoscere
et demonstrare potest veritates naturales, quae praembula fidei dicuntur
atque item motiva credibilitatis divinae revelationis.

DE INSTITUTIONIBUS BIBLICIS

THESES EXCERPTAE

I.

Textus primigenii Sacrarum Scripturarum sive hebraicus V., sive graecus N. T. authentici sunt revelationis fontes, etsi in eis menda quaedam adesse fatendum est.

II.

De substanciali Alexandrinae versionis cum autographis Sacrorum Scriptorum conformitate dubitari nequit, ac proinde genuinum revelationis V. T. instrumentum dicenda est.

III.

Vulgata versio latina eo sensu a Concilio Tridentino — Sess. IV — authentica declarata fuit, ut verus et genuinus revelationis fons dici queat et debeat, ita quidem ut non tantum nulla falsa doctrina fidei vel morum regula erronea ex illa legitime deduci possit, sed ut etiam omnia illa, quae ad Verbi divini scripti substantiam pertinent, fideliter exprimat.

IV.

Neque tamen decreto suo Tridentini Patres textibus primigeniis et antiquis versionibus, quae semper in Ecclesiae usu erant, Vulgatam prae-tulerunt, neque illis auctoritatem, qua antea gavisae sunt, denegarunt.

V.

Omnibus et singulis S. Scripturae dictis literalis sensus subest. Proba-bilium tamen negandum est unum eundemque textum plures sensus lite-rales a Spiritu S. intentos admittere.

VI.

Typos sensusque typicos in S. Scriptura inveniri, certa doctrina est.

☩ CONST. CASTRALE, *Praeses.*

PALLAVIDINO. *Ab actis.*

V. Imprimatur:

Taurini, 17 Junii 1916.

☩ AUGUSTINUS, *Card. Archiepiscopus.*

